

VIRTUS PRODIGA VITAE³⁾

*Non etenim cultum romanum nomen et esset,
Fundere pro patria vitam nisi vel didicissent
Romani a teneris annis valideque tueri.
Et recte: nam magnarum virtute virorum
Roma stetit, gessitque diu portenta stuporis,
Quos aluit gremioque foyens se sustulit alte.
Hoc hominum fulcro, solido quasi tegmine nixa,
Quidquid agit, mente et quidquid molitur in armis,
Perficit, ignotasque vias pertentat honesti.
Nullus enim tardat Romanos vel labor asper,
Alea nulla tenet, nemo haesitat, agmen et haeret
Oppositum, numero pollens dum invadit in Alpes.
Mole hac turrita cavit et fortissimus hostis.
Quinam stet contra nisus validosque lacertos?
Quî intentas vires funesto Marte refringas,
Si quot dinumeras cives, tot moenia habebis,
In quae tela retundantur misere? Pia, perge,
Roma, viam aeternis demonstratam tibi fatis!
Iam tibi dant cives effuse quidquid et omni
Carius est re: almae lucis sua dona, salutem
Ut certam accipias maiorque feraris in orbem...
Ut stupor aufugit sensimque effluxit in auras,
Mensque sibi meminit claros iam redditum Curti
Fastos, et tanto implevit se nomine laeta,
Quaeque domi tenet, affert gens antroque dicantur...
Gemmatas torques, ostrum, cerealia dona,
Omne ornamentum, nummos, vestesque nitentes,
Iam specus absorbet. Mira est contentio. Pauper,
Nudus opum ipse suum lacerum vel donat amictum!
Mane ingens antrum fuit, et sub vespere nulla
Exstabat species lustri vacuumque repletum
Prodigium ostendit caeleste. Diu meminerunt
Romani festum, praesentis numinis omen,
Obtulit atque oculis vitae se prodiga virtus.
Complebris latebris, suetus labor arripit omnes.*

*Hac spe, Roma potens, aeterno condita saxo,
Auspiciisque bonis contendere ad astra parabas.*

Casertae.

MARCUS GALDI.

Dr. JOSEPHUS FORNARI. sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺

MONITUM

Quaemadmodum in superioribus annis actum est, per hunc Novembris mensis fasciculum, quem speciminis gratia per orbem late diffundimus, subnotationem extraordinariam indicimus pro iis qui ad societatem nostram sint ultra accessuri. Hi profecto ab hodierna die ad expletum annum MCMXVII commentarium habebunt immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italiam libell. 12, ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Qui autem integrum Almae Romae collectionem sibi cupiat, scilicet a mense Maio MCMXIV ad mensem Decembrem MCMXVII mittat si in Italia libell. 30; undique extra Italiam libell. 40.

Pecuniae traditio fieri poterit sive per publici cursus mandatum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam; sive etiam per commissionem apud extera in Urbe seminaria et collegia, in quibus omnibus clientes adnumeramus.

Confidimus fore ut sollicitudini nostrae multorum favor respondeat; eritque vel maxime, si qui in societatem nostram adlecti iam sunt, nomina viorum aliquot nobis pro sua humanitate indicare velint, quibus specimen commentarii nostri non sine felici exitu tradere possimus; quod quidem etiam atque etiam eos rogamus.

ALMA ROMA.

Bellum, piaculare flagellum

Haud scio an in tanto «materialismi historici», quem nuncupant, furore, unde christiana perceptionis libertas in luteo eoque angusto campo voluntari a plerisque cogitur, irrisurus quispiam mihi sit, tamquam piaculare flagellum consideranti bellum. Sit cuique suum iudicium; sitque eo magis mihi, quod huiusmodi notio neque perturbat actionem illam apertam ardentioremque, qua belli, in patriae defensionem, participes Christiani se faciunt; neque nobis obnubilat eximiam illam formam, ad quam Catholici contendimus, vi ius anteponentes, necessitatis statum tamquam exceptionis considerantes, universorum et singulorum iustitiam identidem recognoscentes, atque

ideo individuum per potentioris dominatum minime immolari debere iudicantes; quum imo et boni aliquid et spei vel humilibus porrigerem gloriemur, unico perfectae iustitiae sensu, hoc est suum cunque tribuendo.

Per Dei et hominum fidem! Bellum damnantes, haud equidem negamus illud, sive latens sive manifestum, esse; quemadmodum haud inficiamur latentes aut manifestos morbos extare.

Verum enimvero, ut a morborum contagio corpus muuimus per modicum earum rerum usum, quas natura nobis ad vitam et honestam voluptatem suppeditavit, atque per eiusdem corporis locorumque munditiem, ita et a bellis, ab odiis, ambitu, immoderata dominatio- nis cupiditate, populi muniendi sunt per iustitiam, continentiam, bonorum suorum, finiumque gentis sua expletio- nem, nitore denique animorum, quos insana vanaque doctrina haudquaquam foedaverit.

**

Quantum hodiernae disciplinae profe- cerint ad contagii morbos arcendos equis ignorat? Atque tamen huiusmodi, ita dicam, valetudinis tuendae arces et mu- nimenta saepenumero franguntur; irri- tique fiunt doctorum conatus, ut in vi- treas ampullas, ubi arcanam eorum vitam perquirunt, germina pathogena adstrin- gant, direptionem mortemque inferentia. Facile autem innuere licet, non casu, (verbo scilicet significatione quavis ex- perte), sed ex supra voluntate confu- sionem, errorem, malum fuisse permisum unde morbus est genitus; idque quia si scientia supremum finem assequi posset prohibendi morbos, mirabile illud ex- minare aequo positum misceretur, a certa eaque dupli vice ordinatum, lucis ac te-

nebrarum, boni malique, vitae mortisque, ex qua regitur orbis per alteram pro- fecto legem; incognitam hanc quidem, cuius tamen praesentiam omnino senti- mus, quamquam claustra confringere ne- quimus. Itaque ad superbiam nostram deprimendam, utque de paucitate nostra commoneamur, a divinis flagellis — ab oppugnatis frustra morbis ad terrae motus, quibuscum certare nobis non licet — densa humani exercitus agmina, in qui- bus omnes paria stipendia facimus, defi- nito temporis circuitu funduntur atque dissipantur; eaque primaevi floris alterna- vices superimplet, per quam lassus mor- rientis avi risus geminatur cum leni pu- dicoque risu ex infantis oculis afflante.

Inter populos item, salutaris puraque illa doctrina, qua Deus per Christum suum pulcritudine nova fideque sempi- terna renovavit, per obscuros maleficosque influxus permeantes in eius placidos rivulos, qui, venarum ad instar, genero- sum incorruptumque sanguinem humano generi inducunt, virtute sua degeneratur, eoque imbuitur veneno, quod homines reddat odio frementes, pugnae cupidos sitique ardentes dominii atque popula- tionum. Tum autem, ubi divinae legis interitus maior est, magisque evidens confusio atque tumultus, validioris ef- fraena cupiditas, minax et vecors, in debilem hostem concidit ad eius terras opesque extorquendas, ipsasque roboris prisci metendas reliquias. Atvero sa- pientissimi Numinis consilium, quod per vias metasque nobis incomprehensibiles rapinatoris incursum permisit, in cae- dis auctorem ea ipsa arma brevi de- torquet, quae ille ad inferendum adhi- buit, conatusque, effusum sanguinem, impetumque rependit protervum illum frustans, consumens, ab audaci fine abigens, quem sibi proposuerat. Inter

haec, populi, qui ineluctabilis huius cer- taminis in igne versantur, late iuxtaque errorum suorum poenas pro meritis luunt. Ex huiusmodi quidem circa bellum iudi- cio, sequitur Christianos viros non solum posse, sed debere suae doctrinae funda- mentum, mutuo amore paceque universa innixum, ad patriae aram pro tempore mactare; eius scilicet patriae, quae cum Deo et familia trinomen illud efformat, cui dum vivimus servanda nobis est fides; quacum etiam in vitio sumus.

**

Nec praeterea est dubium quin haec reputanti incongruum videatur, bellici flagelli piacularum naturam ipsis et scientiae et historiae argumentis posse de- monstrari; hanc enim qui negaverit, primam eamque praecipuam legem qua rerum universitas regitur, neget. Fa- cile item quisque intelliget quomodo, dum christiani gregis oves, suum quis- que in magno discrimine locum reli- giose atque diligenter pro patria te- nere adigitur, Supremo Pastori, totius orbis animorum parenti, unica pars as- sumenda fuerit a divina vice sua in terris ipsi assignata, ut scilicet inter collidentes undique, insatiabiles, flagran- tesque tantos desiderii ignes, sua vi parique momento sese libret. Supremae voluntati obtemperans, cui nihil reluc- tari potest, quo altius valet, ut sidera et nubila, formidabilem is contemplatur procellam; dumque ex caritate sua vul- neribus medetur, morituros sustentat, captivos visitat, multatos solvit, exspe- cat interim dum praeceps iste torrens omnia evertens cruento impetu suo tan- dem aliquando consistat, caeloque nubi- bus abductis, liceat demum hominibus crucem Christi iterum inter solis radios

agnoscere, redemptionis novae aeternum signaculum.

Tunc autem nulla pars, populus nul- lus vocem expromere valebit quae cupi- ditate aut studio aliquo destituatur: uni illi, nec sibi nec suis, qui utrinque pa- riter in bello adfuerunt, quidquam re- petenti, consolare ius erit ut formam eximiam ordinis illius adumbret, quem ex errore per vim demptum omnes una voce repetent... Equidem, si teterrimum istud, quo vexamur, malum, ad extrema legis suae usque productum, effecerit, ut homines ad immutabiles perfectasque Fi- dei normas reducti fuerint, eiusdem le- gis quoque magna proculdubio solatia experiemur de morum illa excelsitate, quam nulla vis, imperium nullum in ter- ris efferre unquam poterit. Tum quidem affirmare licebit divinum belli flagellum vere naturae suae obsecundasse, hoc est humano generi piacularare evasisse.

ROMANUS.

De rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducant⁽¹⁾

Quomodo auctores sint exponendi ve- nit hodie libandum ac deliberandum. Multos doctores sui iuris fecit consuetudo iam vetus, cui nova meliora et optima frusta opposueris: aliquot pe- riodes legunt, in vernacula linguam transferunt, singulas voces operose ex- minant; vix monosyllabica occurrit, cuius atavi, filii, filiae, nepotes et nep- tes, imo tota consanguinitas et affinitas prolixe non recenseatur, nimirum illis,

(1) Cfr. sup. num. IX.

qui lexici alicuius compendiosi faciem oculis nunquam usurparunt; sequuntur proprietates, significatus, usus, vel decem citantur auctores, ut constet quomodo ab hoc vel illo olim, quando Evandri mater adhuc inter homines erat, et sequentibus saeculis fuerit usurpata: haec omnia scribuntur cum tanta devotione, ac si ex Apollinis tripode hausta essent. Quin etiam adhuc passim inveniuntur qui, si quando discipuli de synechdoche, metaphora, metonymia intempestive aliquid audiverunt, illico eruunt tropos, nec tantum celebriores, qui magis sint prominuli, sed alios etiam, qui ita sunt implicati et in profundum demersi, ut primo intuitu etiam oculum doctoris alicuius fallant. Accedit interdum is analysis logicae excessus, qui discentibus crucem figat, intelligentibus saepe risum moveat, saepe stomachum, inter infinitas illas διχοτομίας, distinctiones ac nihili subdistinctiones; ut certo tibi persuadere queas, non plura Hellespontum cum Xerxe capita traieceris, aut tot olim Mario consule profligatos esse Cimbros, sicut nonnemo haud minus ingeniose quam iocose loquitur. Triduum interim elabitur, priusquam ad huius expositionis leges uni atque alteri periodo corona imponitur; abit quadriennium priusquam Caesaris aut Livii liber, vel Tullii oratio una, vel Plauti aut Terentii aliqua comoedia absolvuntur; nec tamen scopum feriunt, quae ingentis supercilii Oedipus nodum in scirpo et e mustaceo laureolam quaerens, tot annis concionatus et commentatus est. Angusta tyronum memoria istam suburram nec capere nec coquere, multo minus recondere et retinere potest. Adde, quod multa etiam in prolixis istis commentariis reperiuntur, quae rursus novo commentario indigent, et absque Nym-

pha Egeria aegre intelliguntur. Diogenes quum sordidum balneum ingressus esset, quaequivit illico: « Qui hīc lavant, ubi ablūuntur? » Consimili ratione quare licebit: « Qui hīc interpretationem audiunt, ubinam novum interpretem nanciscuntur, qui prolixas interpretationes, caliginem offudentes, iterum interpretentur? » Atqui iure merito illi mereri laudem mihi videntur, qui auctorem clare exponunt, in facilioribus non morantur, peregrina non admiscent, difficiliores voces circa originem, significationem et usum paucis nervose explicant, insigniores loquendi formulas notant, uno atque altero exemplo illustrant; dum autem calent omnia, illico proposita reposunt, ut recte digerantur et in succum alibilem convertantur; quod tum demum fieri potest, quando tyrones audita voce repetunt, et ad auctoris ductum loqui et scribere incipiunt.

* *

Quod attinet styli exercitia, quae ex lingua vernacula in linguam addiscendam aliquid convertere iubent, considerandum puto quorsum istiusmodi exercitia proponantur. Ideo nimurum, ut voces, phrases, locutiones, grammaticae canones ad usum transferant. Nonne igitur hallueinantur, qui, styli exercendi gratia, historias, fabulas et res notatu dignas ad calatum dictare solent, ut in linguam quam docent convertantur? Interea enim scopi prorsus obliscuntur; namque non linguae, sed rerum ratio hīc habetur; quod fieri non debebat. Qui fabulas, historias, apophthegmata, res naturales, civiles, divina et humana novisse desiderat, consulat suo tempore libros physicos, historicos, politicos, sacros et profanos, adeat ipsos fontes, e quibus talia scaturiunt.

Hisce ego illa styli exercitia potius praefferenda puto, quae diriguntur ad classes rerum, suoque circumplexu coercent celebriores phrases ac voces istue pertinentes. Vel quae respiciunt lexici epitomen, atque insigniores voces ac phrases ingeniose colligunt in formam alicuius narrationis vel epistolae; qua ratione, vel per triginta circiter exercitia, fere nervus et stamen alicuius linguae colligi et satis apte disponi possunt. Vel quae respiciunt ad luculentum aliquem auctorem antea expositum; sic adornata, ut succus et elegantia auctoris in compositione exercitorum illorum, imitationis gratia propositorum, monstrari et observari liceat. Vel denique quae ad exercendam grammaticam proficia sunt, adeoque nucleus morphologiae ac syntaxeos, atque etiam etymologiae complectuntur. Ceterum notabile emolumentum ad tyronem redundabit, si quando primum ex lingua nova, quam incipit discere, saepe aliquid transtulerit in vernacula suam: hac enim via linguae discendae indolem, idiotismos et consuetudinem familiarius noscere, accuratius perscrutari, et postea longe facilius e vernacula in linguam novam transferre poterit, nec impinget tam crassa sicut alias fieri insuerit, adeoque vernacula suam excolere etiam poterit.

* *

Hactenus de materia exercitorum styli; nunc pauca de eorumdem emendatione et repetitione adnectere placet.

Vides exercitia ista, ut vocant, in scholis exhiberi magistro, qui legit celeri calamo, errata corrigit ac tyroni illico reddit, ut ipse discipulus aliquando nesciat ubi erraverit et quare, ad quam regulam grammaticae, vel linguae phraselogiam impegerit. Longe felicius, meo


iudicio, expeditur hoc negotium, si quando erratum tyroni monstretur, emendandi causa praebeat, ut ipsem corrigat, urticam tangat, lapsum observet, ut sibi ab isto lapide in posterum facilius cavere valeat.

Emendata autem styli exercitia post aliquot menses ad tenebras divertere solent cum foliis sybillae, et sub scandenis oberrare. Quod ne selectioribus istis, de quibus supra dixi, eveniat, repetenda sunt, ne instar spectri evanescant, sed radices agant; ex qua repetitione insignis suppululabit promptitudo. Quae quum nasci incipit, in familiari colloquio cotidie lingua nova exerceri debet. Nam peregrinas linguis usu et exercitatione addisci nemo ignorat; quod quia hodie ferme negligitur, aut nimis frigide urgeatur, hinc haeremus tot annos in latina lingua et graeca, ut nos temporis et laboris postea taedeat, pigeat, pudeat.

* *

Haec habebam pro mea parte dicenda de rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducerent; videat benignus lector utrum rem acutetigerim; videat, et si secus reputet, mentem suam aperiat. Ego enim libenter in meliori via eum sequear;... vel saltem circa meliorem viam, quae ad communem exoptatum scopum aptius adducat, ultro cum ipso contendam.

DOCTOR HAVER.



ARCHAEOLOGICAE RES

De funerum ritu apud Romanos.

Mirum est quantum adversus mortuos pietatis studium apud gentes uni-

versas nunquam non extiterit; quippe quum illos omni officiorum genere prosequi, non tam cognationis et amicitiae, quam humanitatis praecipuum quoddam munus habitum omni temporē fuerit. Qua certe in re non cessit unquam aliis Romanus populus, utpote quovis eorum temporum cultu solitus universos anteire. Itaque mense hoc Novembri, defunctorum memoriae prasertim dicato, haud inopportunum duximus aliquid de re funebri apud Romanos repetere.

Atqui toti huiusmodi capitи duo, veluti initium, occurunt, annuli detrac-tio, animaeque acceptio. Scilicet mos erat properanti iam ad interitum auferre annulum e digito, fortasse ne, inter turbam, in alienas manus incideret. Hinc dicitur Tiberius apud Suetonium (LXXXIII): « Extractum sibi deficienti annulum mox resipiscens requisisse ». Ob quod ipsum institutum de Hadriano tradidit Spartanus (XXVI): « Signa mortis haec habuit: Annulus, in quo imago ipsius sculpta, sponte de digito delapsus est ».

Ea dein erat cura, ut sanguine coniunctiores morientis animam, tamquam id fieri posset, ore exciperent. Quod inter ceteros ita expressum reliquit Tullius (1): « Matres miserae pernoctabant ad ostium careeris, ... quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret ».

Mortuo statim oculi claudēbantur propter eam, quam veriorem credimus, causam, ut recte iidem quasi ad somnum compositi conformatique forent. Tum proprio defunctus nomine pluries inclamabatur, ut num reapse obisset dignosceretur (2).

(1) In Verrem, V, 45.

(2) Cfr. OVID., Trist., III, 3.

.... Nec cum clamore supremo
Languentes oculos claudet amica manus.

Hisce peractis, lotum inde unctumque cadaver pretiosioribus pro condione vestibus ornabatur. (3) Mos autem erat in vita parari vestem, quam non ante usui dicatam mortui demum induerentur.

Porro ad vestimenti elegantiam aditum nonnunquam coronae floribus intextae ornamentum est; quod ex lege XII Tab. eorum fuit, qui viventes coronam sibi in ludis comparavissent. (4)

Ita ornatum cadaver, atque a cubiculo a propinquis eductum, in domus vestibulo prope limen in lecto, pedibus foras versis, collocabatur. (5)

Acerram ibidem ad incendendos odores statui adsuevisse palam facit Festus. (6) Servius autem causam prodit quare cypressus ad fores figeretur; (7) ut scilicet pro signo foret, ne quis pontifex funestam domum inscienter ingressus contaminaretur. (8)

Inde fluxit tritissimum illud: « Conclamatum est », in rebus iam desperatis adhiberi solitum. Quod ad rem aptissime sic usurpavit Livius (IV, 40): « Equites procul visi... tantam laetitiam fecere,... ut ex moestis paulo ante domibus, quae conclamaverant suos, procurreretur in vias ».

(3) Testatur Polybius (VI, 51) eos, qui functi magistratibus fuissent, in funere togis praetextis convestitos esse; triumphales vero viros togis aureis intextis; totis autem purpureis peculiari iure censores. Reliqui cives in togis albis elati: modo pauperiores excipias, quibus neque in vita ullus erat togarum usus.

(4) Cfr. CIC., De leg. XXIV; PLIN. XXI, 3.

(5) Cfr. PERSIUS, III:

.... Tandemque beatulus alto
Compositus lecto, cressisque lutatus aromis
In portam rigidos calces extendit.

(6) Voc. ACERRA.

(7) Ad Aeneid. III, 64.

(8) Cur vero haec potius quam alia arbos ad id delecta fuerit, declarat ita Festus (voc. Cypressus): « Quia huius generis arbor excisa non renascitur; sicut ex mortuo nihil iam est sperandum ».

Cadaver septem dies domi mansisse auctor est idem Servius; (1) quod tamen de « indictivis » tantum funeribus accipi debet, quum in « tacitis » tantum temporis necesse non fuerit, ubi praepropere omnia fieri mos erat. (2)

Verum quodcumque tandem illud faret, eo transacto, mortuus efferebatur. Id noctu fiebat, ne, quemadmodum tradidit Servius, (3) si funus diurno tempore duceretur, aut magistratum, aut sacerdotum oculi occursu illius violarentur. Sed mutata postea ratio obtinuit, ut tacita atque acerba solum funera per noctem agerentur; et indictiva interdiu.

Quoniam autem ducendis nocte funeribus faces adhiberi necesse erat, (4)

(1) Ad Aeneid. V, 64.

(2) « Tacitum », quod et « plebeium, vulgare, commune, translatitium » vocatum teniuerum hominum funus fuit; ad quod nihil eorum, quibus insignita maxime indictiva sunt, adhibebatur: non indictio, non designator, nec pompa, nec ludi; de quibus inferius. In huiusmodi funera relatum, quod ad formam attinuit, quoque est funus « acerbum », eorum scilicet, qui immaturam mortem oppetissent. « Indictivum » autem appellatum funus est, ad quod populus per praecomenem vocabatur. Ex hisce maxime emicuit fanus « publicum », quod viris optime de republica meritis fieri ex auctoritate senatus impensa publica solebat; idque curare praetoris erat. Insigne quoque admodum inter indictiva exstitit funus « censorium », utpote censorum peculiare; sed aliis etiam meritis civibus aliquando est concessum. In eo praecipuum erat (POLYB., VI), quod stragula vestesque totae ex purpura adhiberentur. Ne denique opineris principes tantum viros, atque honestissimos quosque funeribus indictivis fuisse usos. Etiam a mediocris humilisque fortunae civibus usurpata illa demonstrat Varro (IV, 33), quum inquit: « Ex aedibus efferri indictivo funere praeco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur ».

(3) Ad Aeneid., XI, 143.

(4) Ab eorum nomine, scilicet e *funalibus*, nomen *funeri* factum veteres grammatici tradidierunt.

hinc manavit, ut illae in exsequiis omnibus, etiam diurnis, gestarentur.

Toti funebri pompe ordinandae praerat « Designator », qui suos ad id ministros habebat. Pompa autem e vario tum rerum, tum personarum genere conflabatur.

E rebus, praecipue fuere maiorum imagines, singulis quaeque lectis funebribus praelatae. Ex quo planum fit, quid usus habuerint plures illi lecti, quos uni interdum adhibitos fuisse funeri accepimus. Certe in funere Marcelli sexcentos Augustus preferri iussisse dicitur; (5) quin etiam, quod prorsus incredibile videatur, Sulla sex millia habuisse. Quanquam advertendum est, non solum imaginibus gestandis huiusmodi lectos deservisse, sed aliis quoque insignibus ornamentisque, quae interdum plurima fuerunt. Ita memorati modo Sullae exsequias amplius bis mille coronis aureis, quas civitates, legiones, amici contulerant, aliisque donis innumeris fuisse decoratas tradidit Appianus. (6) In hoc ornamentorum genus praemitti solitum refer etiam victoriarum triumphorumque insignia, nempe devictorum hostium spolia, subactarum urbium gentiumque simulacra et numina.

Personae autem, quae non exiguum funebris pompe partem constituebant, « Sicinnistae » fuerunt, « Praeficæ », « Tibicines », « Tubicines », « Liberti Orcini » et « Lictores ».

Sicinnistæ, « sicinnam », priscum saltationis genus, saltantes ibant. (7) — Praeficæ, mulieres erant, prouti inter omnes constat, ad lamentandum mortuum conductæ, « quae dabant ceteris modum plangendi, quasi in hoc praefectæ »,

(5) SERVIUS, ad Aeneid. VI, 861.

(6) Bell. Civ., I.

(7) GELL., XX, 3.

quemadmodum scribit Festus. Carmen illud quidem plerumque ineptum inconditumque, quod per eas id temporis ad tibiam canebatur. (1)

Tibicines ideo exsequiis intererant, quod neniae, ut modo diximus, ad tibias concinerentur. Tibicinum numero ad funebrem pompam in dies crescente, decemvirali legi sancitum est, ne plures denis adesse possent. (2) Aderant autem in quolibet sive illustrium sive ignobilium exsequiarum genere. — Tibicines porro publicorum atque indictiorum solummodo funerum comites existabant. (3) Quarum funebrium tubarum peculiare id fuisse videtur, ut longiores latoresque essent, quales aliquando in sepulcris conspicimus, eoque ad graviorem emittendum sonum aptiores. (4).

Cum reliquis procedebant Liberti Orçini, qui scilicet libertatem fuissent ex testamento assecuti; iique novorum libertorum more pileati (5). Denique Lictores eo numero quem cuiusque dignitas postularet, versos fasces gerezabant. (6).

Atque ecce tibi Feretrum. Quod in illustri funere, de quo maxime agimus, lectica ipsa esse consuevit. Proximi ha-

(1) Neniae nomen, quod huic carmini inditum est, fortasse ab Hebraico *nehi* (lamentum) fuit deductum. — Hic autem e re nata animadvertere occurrit, Praeficias plane diversas a « Funeris » fuisse. Hae namque (ita vocatae, quasi « Funereae », prout adnotavit Servius ad XI *Aeneid.*, 487) mulieres fuerunt proxima mortuo cognatione coniunctae; ad quas propterea maxime funus pertinuit.

(2) Cfr. CIC., *De leg.*, II, 23.

(3) Cfr. VERG., *Aen.* XI, 192; PROPERT., XI, 10.

(4) Certe a ceteris has fuisse diversas testatur Gellius (XX, 2), ubi et addit huiuscmodi tibicines etiam « Siticinum » nomine dictos, quippe qui apud « sitos », videlicet vita funetas sepultosque, canere consueverint.

(5) Cfr. DIONYS., 228.

(6) Cfr. POLYB., VI.

redes plerumque comportabant, nonnumquam servi manumissi, nec raro, ubi defuncti merita sic poscere viderentur, primores civitatis, patricii, senatores, magistratus. Verum in funeribus tenuiorum et « sandapila », loculus ligneus, erat pro feretro, quae a « vespilonibus », mancipatis hominibus, gestabatur. (7).

Iam funus prosequabantur atrati non cognati modo, et amici, sed alii quoque, ea frequentia, quam maior minorve mortui amplitudo conciliasset; quae tanta aliquando fuit, ut totam fere civitatem ad cohonestandas exequias convenisse legamus.

Universa haec pompa ad forum procedebat; ubi posito cadavere, defuncti laudes ab aliquo propinquo aut ab eloquenti viro ad id delecto, aliquando etiam per senatum dato, oratione pro rostris habita, celebrabantur. Qua demum absoluta, funus ad combustionis, vel sepulturae locum ducebatur.

Sed ne per humationem credas funebrem ritum apud Romanos expleri: alia sequebantur, quae, ne longiores simus, brevi perstringemus. Primum igitur funestam domum purgari oportebat; cui

(7) De Vespilonibus ita Festus: « *Vespae* et *Vespiles* dicuntur, qui corporibus funerandis officium gerunt, non a minutis illis volubibus, sed quia vespertino tempore eos efferrunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt ». Perinde autem ac vespilonum, etiam « Pollinctorum » atque « Ustorum » munia circa mortuorum curationem versabantur. Etenim sicut priores illi exportandis, ita alteri ungendis, postremi comburendis operabantur. Universi vero hi in familia erant « Libitinariorum »; quo nomine appellati sunt, qui Libitinae praecrant; qui scilicet res ad funus spectantes administrabant locabante. Quae quoniam in Libitinae templo servabantur, natum inde est, ut et earum locatores « Libitinarii » dicerentur, et « Libitina » tum eorumdem artem, tum ipsum apparatus funeris designaret. (Cfr. LIV. XLI, 21, et VAL. MAX. V, 2, 10).

rei praestandae usui erat expiatorium quoddam sacrum, « Exverrae », seu « Exverriae » nuncupatum. Ad id pertinuere « Feriae denicales » a Graeco *vexuv* (mortuum) fortasse nuncupatae; et « Feriae novendiales », quae parentalibus persolvendis dicebantur. Sacra vero ipsa, quae adhiberi ad parentandum solebant « Inferiae » appellata sunt, et ex aqua, vino, lacte et sanguine conficiebantur. Adde et floribus, coronis, taeniisque sepulcrum interdum adornari. Aliud parentaliorum genus epulæ illae fuerunt « sili coenium », ut Servius adnotat, (1) hoc est « super silicem positum ». Huiusce funebris epuli proprium fuit, ut nemo inde quidquam auferre posset, quippe quod totum mortuo cedere deberet. Erant vero epulæ aliae, quibus cognati amicique ad sepulcrum ipsum vescerentur, quas circa recordari iuvat Ciceronis verba pro Flacco, 38: « Sepulcrum L. Catilinae floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est ».

Denique « Ludi gladiatorii » insignior funebrium iustorum pars exstiterunt; qui non solum edi aliquando ad rogum solebant, sed multo saepius post humationem, quo tempore libuisset, in foro alibile celebrabantur.

Quae commemorata hactenus sunt, ea ferme fuerunt, quae, persolutis iam ante exsequiarum iustis, mox a funesta familia peragerentur. Haec vero ipsa ad certum tempus in luctu erat. Cuius terminos Plutarchus testatur constituisse Numam. Quare ex illius praescripto, quum puer tribus annis minor non lugeretur, maiorem porro tot menses luctu prosequi oportebat, quot ille annos vivisset. At pro iis, qui longiorem decen-

(1) In *Aeneid.*, V, 92.

nio vitam egissent, ultra menses decem luctum proferre non licuit, ita ut sumum lugendi tempus deni menses essent. Luctus vero ipse in eo vertebatur, ut barbam promitterent, pullas vestes usurparent, annulis non uterentur, a conviviis abessent, atque odmi se continerent.

* *

De epistulis apud veteres⁽²⁾

Inter primas Romanorum epistulas adnumerari solet, quae a Catone seniore ad filium scripta fuit. Serius omnino composita est epistularum collectio; quo tempore epistulae elegantiores esse coeperunt aequae expoliri.

Plinius Caecilius Secundus, qui *iunior* dicitur, ut distinguatur a Plinio *maiore*, acre ingenium litteris dedit, et Tullii vestigiis ingressus, ad eloquentiae gloriam contendit. Adulescens in Syria militavit, mox in foro coepit dicere. Quum autem maxima apud Traianum gratia valeret, per omnes honorum gradus ad consulatum pervenit, et tandem Bithyniae proconsulari potestate fuit praefectus.

Ex Plinii orationibus solus exstat *Panegyricus* Trajano dictus, quum consul fuisset designatus; at, optimo Romanarum litterarum fato, aetatem tulerunt *Epistularum libri decem*, in quibus plurima leguntur, quae quum eximiam Plinii naturam testantur, tum vero maxime pertinent ad historiam illius temporis declarandam. Tam in panegyrico, quam in epistulis Pliniani ingenii praestantia et iuvenilis quaedam ubertas laudatur. Delectat scribendi genus argutum, floridum, limatum, expolitum. At cuiusdam lasciviae flosculi, poëticus

(2) Cfr. num. sup.

color et acumina quaedam sententiarum passim occurunt, quae senescentem illum aetatem produnt, qua plus artis curiae, quam in affectati candoris scriptoribus inesset.

Si enim Cicero, veluti famae suae securus, qualiacumque vellet in epistulis suis liberrime promit, et naturali quodam animi candore quidquid in mente pro re nata venit, declarat, Plinius e contra, quum iam sibi esset in votis, ut aliquando simul suas epistulas in unum corpus colligeret atque in vulgus ederet, illa nativa verborum ac sententiarum simplicitate caret, quae semper in dicendo inter familiares unica laudatur. Hoc autem nomine epistulae Ciceronis ad summum perfectionis fastigium pervenisse omnibus doctoribus visae sunt, ac maximis laudibus undique accipiuntur.

Hic dicendi modus, qui mirum in modum in epistulis laudatur, paullatim ab Imperatoribus usurpari coepit, est, quum ad Senatum aliquid referre vellent, ut eius sapientiam compellare aliquando viderentur, ne subito putarent Romanum imperium in dominacionem esse conversum. Sic sub aliquam libertatis moriturae specie, voluntatem suam ad senatum referebant.

Quam quidem consuetudinem et recentiores nobis Imperatores obtinuerunt, qui, Napoleonis vestigiis insistentes, identidem apud oratores populares de gravissimis rebus agere consueverunt. Nos hasce epistulas italice dicimus *Messaggio*.

Ut aliquo saltem modo popolorum superbiae blandirentur, et magno ore, prope dixerim, romanam magnitudinem referent, sic exordiri solebant: *Traianus imperator senatui romano salutem!*

At senescente aetate, quum imperantium litterae ineptissimas ineptias continerent, ob tyrannorum metum, scriptores pressius omnino ac subdole con-

suum exprompserunt. Tunc novo litterarum fato ac religionis Christianae decore, epistulae extollebantur a viris Deo devotis conscriptae, quae veram ac germanam semper rerum imaginem perhibentes, suorum temporum mores cum libertate securissime describunt.

Restat ut de epistularum libris peculiariter aliquid dicamus. Primus epistularum liber Platoni adtribuitur. Hic enim quum esset ab adversariis accusatus, quod in bello a Graecis infelicitate acto, in Sicilia, domi apud Dionysium, mansisset, eius amici, ut magistrum ab hoc crimen defenderent, in unum corpus omnes epistulas collegerunt, quo Platonis innocentia fulgentius splendesceret. Haec autem epistularum collectio, si diu singularis mansit, mox sive ob rerum elegantiam atque novitatem, sive ob clarissimi cuiusdam scriptoris famam, multos habuit imitatores. In his est adscribendus Epicurus, qui sub epistularum speciem, quas amicis daret, luminibus sapientiae doctrinam suam enucleabat. Sic exortum est genus illud scribendi, quod praeceptivum optime dixeris, et ulti sunt adgressi alacresque philosophi, quum de scientia loquerentur.

Huius vestigia ingressus Seneca, Stoicorum doctrinam professus, plurima compositus modestiae, gravitatis, iustitiae, aliarumque virtutum praecepta, quae a christiana sapientiae fontibus penitus manasse videantur. Hinc opinione percrebuit ipsum Christianam sapientiam a S. Paulo Apostolo arripuisse, cui identidem epistulas daret, in voluntatis suae signum atque admirationis ob munus religionis acceptum.

Inter omnes vero, quos hactenus memoravi, qui philosophicas epistulas ediderunt, principem sibi locum sapientia meritoque quaesivit Paulus idem Apostolus, nec eum adhuc e loco sua dignitatis nemo deturbavit. SENIOR.

CIVI MONITA ROGANDIS LEGIBUS DEPUTATO

CARMEN FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO NEAPOLITANI
IN CERTAMINE POETICO HOEFFFTIANO ANNI MCMXVI MAGNA LAUDE ORNATUM. (1)

Secat res risus aceras. (Sann.)

*Rem populi curare paras, adscitus in Aulam
Tu quoque mirandam patriae longo ordine patrum,
Gaudeo, amice, bene est; quamquam, si forte rogasses,
Muneris optandi tibi nequaquam ante fuisse.
Auctor ego. At quoniam, quamvis non ante petitor,
Inter multa meri fragrantia poca verbis
Ventosis, punctum laetus paene omne tulisti,
Adgredere o meritos, faustum placet omen, honores.
Haec tamen ipse bonus, quae nunc loquar, excipe dicta,
Si manet in pretio primis tibi notus ab annis.
Principio (adversas nam sedes novimus esse,
Invenit unde virum coetus cognomen in Aula)
Ne quocunque pedes tulerint te, siste beatus.
Fors mihi succenses, ut qui non prorsus eadem
Egregios praestare potem virtute sodates,
Seu nunc laeva sibi, seu dextra sedita poscant.
Non ita; nam (verum fateor) quos ante malignos,
Exiguum sane numerum, vilissimus auri
Adcierat non dulcis amor patriaeque decorus,
Sustulit et medio populus congressus ad urnas.
Accessere boni tandem; ast non una profecto
Tot pars incolumi capiet gravitate patronos.
Tu vero quacunque velis consistere parte,
Cornua, si sapis, evita, mediumque sedile
Delige: nobilior locus hic, cupiasque videri,
Ut decet, herorum paucorum protinus unus.
Hinc alio propera, si quando sedita caprae
Spissa premant olidae. Quovis iam tutus adibis;
Namque pari adiunctus par nunc conspirat amice,
Et quamvis sis iuris adhuc nil paene peritus,
Ne timeas: plerunque vices facundia supplet.
Incipe sic tamen exitem depromere vocem,
Ut quicunque gradus post te vix assidet uno,
Auribus arrectis adstet. Si maxima coetus
Pars faveat tibi, iam verbis absiste. Faventis
Hoc erit indicium, si quid modo dicat in aurem
Collegae modo dormit, lustretve diurna,
Est satis incepisse loqui; ne turba clientum
Te parvi faciat, semper te questa silentem.
At si, iura tuens, socios insurgere contra
Adspicias, pulset sine tintinnabula praeses.
Nunc prece, nunc lacrymis, qua vi potes impiger obsta:
Ne timeas veterum fautores dicere quotquot
Libera te prohibent, ut fas est, verba reverte.
Ridicula interdum (hoc etiam te nosse necesse est)
Misce acri: quandoque secat res risus aceras.
Imo si qua tibi sociorum cura tuorum
Restat adhuc, fessos poteris recreare decenter.
Quae bona, die quae, sint haec quacunque, sequuntur
Insignem virtutis virum, qui forte relicta
Coniuge, naturumque procul longo agmine, tanta
Taedia perpessus, patriae se devovet ulti?
Olli nunc misero spes omnis, adempta videndi
Gratuitum pignus, quod coniux dissita mittat,
Dulcis epistolit. Volut sic sordida turba
Quam merito nuper plebes deiecit ab aula.
Quo vir cumque volet (vix hoc conceditur unum)*

*Iuste, reditque viam ferrato in tramile gratis;
Ergo tune feres aegre quandoque sodalis
Exhilarare animum? Sodes, ne praemia frontis
Urbanus spernas: alios praestare videbis
Prorus idem, insignis titulus et nomine avorum.
Imo si quid habes, contra ac plebecula credit,
Libere et ipse loqui cupias. Rubigine tela
Iam regum periere: timent haec arma pusilli
Infirmique homines. Satis est tibi plaudere turbam,
Teque rugum servile animo excussisse fateri.
Si fautoris eges, cautus tu tempora quaere:
Exoritur rabies canis, et gravis aeris aurae
Ruris amatores cogunt discedere ab aula,
Rumpit moras, legemque roga; suffragia cuncti,
Quid dubitas? optata dabunt. Nec novimus unum,
Da veniam, socios inter qui sponte recuset
Pelliculam curare suam: non patria tanti est.
Insuper ipse doles mecum, quod femina nobis
Mancipium servetur adhuc. Si primus in aula
Feminei vindicta generis cupis ipse videri,
Quo multilibre die fatum versetur in urna,
Quot noris facie pulcas, rebusque faventes
Rite novis, aulam totidem adventare puellas
Coge; nec ante suam sortem miseratus acerbam
Incipias, quam turba locum compleverit omnis.
Arrectis tua verba bibent sic auribus, ut nunc
Languidus ora notet pallor, nunc pectora ab imo
In fletum ducant voces. Quis talia cernens
Certet adhuc? Tempus veniet, quem compede rupta,
Vobiscum ipsa ferat suffragia femina, vulgo
Ius eadem dicat, subsellia, rostra frequentans.
Verum ne nimium tibi fide, ut cuncta licenter
Pertractare putes. Sunt quae melioribus armis
Prorsus agent, nec pauca quidem, et longa arte magistra
Quis te militiam docuit? quae forma parandis
Navigis melior, quae sint mutanda? Loguatuer
Haec sine qui lingua est iuxta venerandus et armis.
Quid vero ipse queas, posita formidine mentis,
Dicere, nunc audi. Quum fiat Tullius alter,
Quem patriae compellat amor, vexetque loquentem,
Egregie dices; nec vis te deseret unquam,
Si quos luget adhuc communis patria cives
(Nempe Istros, Rhaetos, Cyrneos et Melitaeos)
Libertate licet sera donare labores.
Quidni? Nobilior tot iam post saecula tollit
Roma caput, viresque Italii stant robore primo.
Iam fuimus numeros, fuimus sine nomine membra
Hactenus; indignata forum, indignata ligones,
Mascula nunc omnis pubes accingitur, armis.
O tandem complete, viri, quae incepimus. Atqui
Multo opus est auro: scimus. Sed, dicte, quaeam
Libertas pretio sine magno venit honesta?
Ne vites ideo, patriae percussus amore,
Si qua manent, Italii prudens sancire tributa.*

(1) Quod auctor clarissimus quo studio opus nostrum prosequitur, benevolentissime concesserit ut Carmen per nostras paginas unice vulgaretur, amplissimas gratias publice referimus. — I. F.

*Hic anceps haeres, veritus ne legis ut auctor
Tu subeas mata danna prior. Sed cetera desint,
Vobis, praesidii causa, nummaria nonne
Usque patet, quae nos penitus latet arca profanos?
Heus tua provideas, nec sis tu debilis unus:
Recte alitur patria, patriae qui inservit. At, oro
Si potes, incolumi lucro sectator honesta.
His ergo monitis utcumque imbutus, amice,
I pede iam fausto quo te vocat inclita fama,
Et data tanta tibi nuper suffragia plebis.
Siquid te tangent mortalia praemia, iam nunc
Praesentire iuvet. Primum bene munere functum,
Te video natale solum remeare; clientes
Nuncia fama vocat: certant te tollere curru,
Musico et interea veheris praeunte maniplo.
Extructis splendens laute convivia mensis.
Hic pateras interque dapis meliora vicissim
Res gestae nomenque trium celebratur. At ipse
Vix haec suffusus repetes nimio usque pudore:
« Quid vobis patriaeque dedi? maiora rogabo,
Vos modo patroni teneat fiducia vestri ».
Qui strepitus! vinoque natant animique oculique.
O epulæ hospitiumque virum! Tunc discere sane
Fas erit an vobis aliquid data munera pro sint.
Haec tibi quae cecini evenient. Si quando (quod absit)
Posthabito populo, proceres defendere iussus
Aspera sic moveas odia, ut te excludat ab aula,
Mitte queri: Romae reducem penitusque beatum
In sua te excipiet subsellia, amice, Senatus.*

GEOGRAPHICAE NOTAE

De Transilvania.

Gentis Rumenorum, quae novissima hostilibus animis inter contendentes irruit, primus impetus fuit ut in Transilvaniam ingredetur atque in proximos Hungaros bellum inferret. Haec autem regio, quae obvia nunc primum nobis tam frequenter occurrit, *Dacia antiquitus appellata*, a Traiano imperatore olim armis adepta, Romanorum imperio adiuncta fuit. Posita est omnis ad meridiem Carpatiorum montium, ad occidentem vero fleetit ad immensam Hunnorum planitie, alpibus saepe fortissimis interpositis. Hinc Transilvania merito nominatur, quod omnis haec regio est varie montibus circumdata atque intersecta.

Hi vero montes, ditissimi omnium et auri atque argenti, appellabantur olim metalliferi. In vallibus Syamos et Ma-

ros adsunt octingenti et amplius fontes, ex quibus sal fossilis abundantiter exortur. Inveniuntur quoque sulphureae scaturigines et petrolei, acidorumque carbonicorum, atque alia gasia complura; quo nomine Transilvania erit mox perutilis regio ad omnes illas artes explicandas, quibus viri recentiores pro commerciis atque industriis promovendis maxime callent.

Atque adeo Itali praesertim favent novae Rumenae gentis fortunae; quae tot perperam adficta calamitatibus sua semper in aevum tum moribus tum eloquio permanxit. Quot vero mala fortis pertulit! At in praesentiarum victoriarum fructus relaturam se esse admodum sperat. Quo facto maximum ei fatum, si princeps remanserit et audax adversus Slavones speculator et defensor. Haec itaque regio, etiamsi diversis omnino populorum stirpibus componitur, a Rumenis in primis culta est atque habita, qui ultimis mox praeteritis annis ad antiquam populi dignitatem renasci, et prae ceteris romanam progeniem preferre studuerunt.

Neque horum conatus inanes erunt, si Rumeni, quibus alte fuit persuasum religionem fortissimum esse populis fulcimen atque propugnaculum, ad catholicum cultum mentem conferant, in quo unice est salus, animorumque cordia. Quod quidem eventurum esse confidimus; quoniam si ipsi, vel sub aliena potestate constituti, et diurno tempore vexati, se se ab omni barbarorum contagione securos conservare potuerunt, et alias sibi gentes in unam coalescere, nullo nunc prorsus labore, adepti libertate, commodius in dies atque tutius obtinebunt. Quod Deus omen illis perficiat!

EGO.

PRO IUNIORIBUS

De cognitionis et scientiae studio.

Duo vitia — scripsit Cicero (1) — vitanda sunt in cognitionis et scientiae studio, naturali sane et honesto. Unum, ne pro cognitis habeamus incognita, hisque temere assentiamus. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit et tempus et diligentiam ad considerandas res. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnam operam conferunt in res obscuras atque difficiles, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis — concludit ille — quod operaे curaeque ponetur in rebus honestis et cognitione dignis, id iure laudabitur.

Si quis tamen ita teneatur discendi studio, ut eas deserat quas tutari debet, ab officio discedet et a iustitia, quae in hominum tuendis commodis maxime cernitur, et contemplationi cognitione verum anteponenda est. Quod optimus quisque iudicat et re ipsa ostendit. Quis est enim tam cupidus perspicie dae rerum naturae, ut, si ei subito al latum sit periculum aliquod patriae, propinquorum, amicorum, cui subvenire possit, non statim abiiciat res cognitione dignissimas?

Cupere autem omnia scire, cuiuscumque modi sit curiosorum est; duci vero cupiditate scientiae ad magnarum rerum contemplationem, summorum virorum esse est putandum. (2) Itaque quum gloriaretur quidam quod multa didicisset, dixit ei Aristippus: « Sicut qui plurima comedunt, non melius va

(1) *De off.*, I, 18.

(2) *ID.*, *De fin.* V, 49.

lent, quam qui sumunt necessaria; sic eruditii habendi sunt, non qui plurima legerunt ac didicerunt, sed qui utilia ». (3)

Anniceris Cyrenaeus — ut est apud Aelianum (4) — magnifice de se sentiebat ob artem equitandi et curru regendorum peritiam. Volens igitur specimen artis Platoni exhibere, iuncto curru multis cursus circumegit in Academia, sic servans primam orbitam arenae impressam a rotis currus sui, ut ne tantillum quidem ab ea declinaret. Obstupere omnes rei miraculo, et aurigam ad caelum laudibus extulere. Uni Platoni talis peritia reprehensione potius, quam gloria digna visa est, dixitque fieri non posse, ut, qui curam impenderet adeo diligentem rebus tam exilibus et nullius utilitatis, ea non negligere, quae essent multo potiora et vere digna admiratione. Praeterea, histrionum, gladiatorum, equorum studio omnino occupatus et obsessus adolescentum animus, quantulum loci bonis artibus relinquit!..

Quaedam autem supervacua est artis imitatio, quae vanum laborem habeat. Qualis illius fuit, qui continue et sine frustratione in acum inferebat grana multa ciceris ex spatio distante missa. Quem quum spectasset Alexander, donasse eum dicitur eiusdem leguminis modio. Quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum. Non enim tam benigne et liberaliter tempus natura nobis dedit, ut liceat aliiquid ex illo perdere. Vide tamen quantum etiam diligentissimis pereat. Aliud cuique valetudo sua abstulit; aliud valetudo suorum, aliud privata negotia, aliud publica occupaverunt: vitam nobiscum dividit somnus.

(3) DIOG. LAERT. in *Arist.*

(4) Lib. II, 27.

Ex hoc tempore tam angusto, tam rapido iam nos auferente, quid iuvat maiorem partem mittere in vanum? Ceterum etiam si longa homini vita suppeteret, tempus parce dispensandum esset, ut sufficeret necessariis. Nunc quae dementia est supervacua sequi in tanta egestate temporis? — Optime Martialis (1):

*Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.*

FORFEX.

ANNALES

Europaeum bellum.

Quae Teutonica agmina contra Rumenorum offensionem missa fuisse in superiori recensione nostra nunciavimus, ea illam compescere reapse valuerunt. Itaque factum est ut Rumeni, qui iam tertiam Transilvaniae partem occupaverant, in Brasso regionem se recipere coacti fuerint, neque impedire potuerint quominus hostes et hac urbe potirentur, (itemque in suis finibus Predeal oppido), et in Dobrugiae regionem Hirsova progrederentur; quinimo, cum Bulgaris coniuncti, Constantiae portum invaderent, ac deinde interiorem urbem Medjidia. Certe in magno discrimine per dies aliquot Rumeni versati sunt, donec russica auxilia ipsis supervenere, quibuscum nunc in Bucovina et Besserabiae fronte, atque in valle Jiu, sua vice Teutones Bulgarosque premunt.

Qui quidem Bulgari et a Serbis proprius urgentur, magna clade ad Midia flumen accepta, alteram munimentorum suorum seriem fractam ab iis viderunt;

(1) *Epigr.*, II, 18.

qui insuper Kaimakeialan montis cacumina recuperarunt, suumque oppidum Tovitch, dum una cum Russis Monastir ad urbem contendunt.

In proxima Albaniae civitate, Itali, quum hinc a Kimarae et Sanormi ad Sanctorum Quadraginta, quem nuncupant, portum, campum suum produxerint, in oram iam omnem septentrionalis Epiri dominantur, impedientes ne subsidia et commeatus e mari accedant; inde introrsus penetrarunt Argyrocastrum, Premeti ac Ljaskoviki usque, ubi cum sociorum copiis, Thessalonicam appulsis, suas connexerunt.

Neque Bulgaris ipsis Teutonibusque a Graecis quidquam sperare iam licet, per Anglogallos, Russos, Italosque immobiles, ita dicam, factos. Etenim horum postulatis, quorum alias mentionem fecimus, accesserunt et circa morum Graecos praefectos censura, et cohibitio civibus facta deferendi arma, et reducio Graeci exercitus ab Epiro ac Thessalia, egressus denique copiarum suarum in Pyraeum Athenarumque stationes; quae omnia novum Graeciae gubernium, praeside Lambros, qui Calogeropoulos per mensem successit, fieri passus est, non aliter ac Venizelianum gubernium illud alterum in sua libertate reliquit.

Uti facile appareat, bellici eventus Balcanicam regionem praesertim recens attigerunt; non tamen credendum est ignem ceteris in locis, nedum restinctum, fuisse saltem sopitum. Pugnatum enim est acriter et in reliquis campis. Anglogalli, Teutonum valla inter Morval et S. Petrum-Vaast expugnarunt; quamquam hic illic Germani eorum nonnulla recuperarunt. Maiores quidem Anglogallorum successus ad Somme fluminis septem triones fuere, ubi, Sailly-Salisel urbe recepta, ad quadrivium usque

Bapaume urbis perventum est. Nunc ad Warlencourt dimicatur, et, per septem passuum millia Germanorum acie prope Virodunum superata, ad Douamont.

Russi ex Brody regione, et a meridie, per transitus Zlota-Lipa fluminis, Leopolim petere conantur, ac praeterea in Volinia impetum iterant; Itali, per Carsicas Iuliasque Alpes maxime, prodeunt, victoresque perverunt ad Colbricon iugum, Costabella oppidum, Sober elata loca; Pasubiumque montem, post alternas vices cruentaque proelia, in suam potestatem omnino redegerunt.

In mari denique per Germanicas subaqueas lntres vectoriarum navium cursus resumpti videntur. In cuiusdam Anglicae navis demersione, his diebus peracta, fluctibus misere obruti dicuntur quinquaginta civitatum foederatarum nordicae Americae cives; ex quo fortasse novae inter civitates ipsas et Germaniam contentiones enascentur.

Quamquam haud scimus utrum bello an factionum dissensionibus referri possit, adnotandum insuper est **grave facinus in Austria patratum**: Stürgkh dicimus comitem, administratorum collegii praesidem, Vindobonae proditorie interceptum. Ei successit Koerber doctor.

In **Bavaria** vita functus est Otho rex ille, qui nomine quidem munus suum tantum exercuit. Notum est enim, vix adepto imperio, mente illum fuisse captum, supremamque potestatem Luitpoldum principem patrum exercuisse, eoque vita functo, regnum ad ipsius progeniem delatum esse, quae per Ludovicum regem nunc tenet, dicti Luitpoldi filium.

Civilia denique **bella** ex turbulentilla Mexicana civitate iterum nunciantur, atque ex Abyssinorum regno.

Kal. Novembribus MCMXVI.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

A nescio quodam philosopho-propheta scriptum me legisse memini, tempus adventurum in quo homini non amplius sit desudandum, ut cibum quotidianum sibi quaerat; pro eo machinas desudaturas. Erit igitur automacoquus, automasartor, automasutor, automaton-sor, et, si numen dederit atque speramus, machina nummaria; quum nos, ad summum, incommodum manserit globulum quemdam electricum premendi; dummodo ne aliquis inventor machinam quoque reperiat, qua et ex huiusmodi fastidio liberemur. Profecto anni aliquot praeteribunt priusquam haec otii aetas orbi superveniat; atvero de eius adventu iam signa non dubia praefreruntur. Est, exempli gratia, in Amerieis, qui iam per ingeniosum item atque simplex instrumentum **autofamulos popinarios** induxit. Hospes ingreditur mensaeque assidet, super qua ferculorum notulam inventit. Epularum sibi ordine constituto, hunc scribit, folium deponit cum pretio in patina, globulumque pressat electrico

tintinnabulo respondentem, in subterranea coquina posito. O mirum! In media mensa foricula aperitur, in eaque patina evanescit, exque ea paulo post iussus cibi missus appetat. Ad alterum tintinnabuli monitum, foricula fictilia haurit alterumque obsonium praebet; et sic deinceps... Sed si ad ultimum missum adventor tryblia mensaliaque omnia secum auferat? Utrum id praevium fuerit, ignoro: teneo tamen ad huiusmodi casum praecavendum automaton vigilem urbanum creatum a prudenti caupone iam fuisse, qui fures comprehendat eosque automobili (evident non?) curru in carcerem ducat.

* *

Interea nos qui retrogradi homines extamus, antiqua edendi ratione contenti, a magistro nostro confortos et oblatos cibos non minore voluptate degustabimus, in hunc **mensae ordinem** hodie nobis dispositos:

Pilulae iurulentae ex pipionis carne. Pratenses fungi ad panis crustulata. Pullastræ elixa; moretum ex spina-chiis.

Lucanicae atque aviculae assae.

Ovi lutea ad Lilybaeum vinum acta.

* *

Nonnullis abhinc annis — (mense maio MCMII, ni fallor) — singulari quidem spectaculo Romae interfui. Puellae enim, litterarum studiis vacantes, tragediam Sophocleam *Antigone* graece egerunt. Eventus memorabilis fuit; quid, si per faciliorem actionem latinam, eamque per mulierum tantum personas acutitatem, favorabilis occasio renovandi ubique spectaculum per nos praefereatur?

Res iam est in cardine, per fecundum Ioannem B. Francesia nostrum, qui dramaticas scenas conscripsit *Ad Praetorium*, quas edere hodie incipimus. Delegantur inde post earum finem *Polycarpi illae aerumnæ*, alias a nobis nunciatae; easque interim senex ille, pro more suo, ac certe cum omnium risu amplificabit...

Quibus hodie vobis, socii et lectores humanissimi, valedico.

* *

Iocosa

Tuccius physicae scientiae suae experimentum agit.

Interrogat magister:

— Quid fiet, si in terris sulphuricum acidum spargas?

Tuccius tacet. Instat alter:

— Heus tu! Si sulphurici acidi ampullam in terram agas, nihilne fiet?...

— Babae; ampulla frangetur!

Idem de historia naturali periculum facit.

MAGISTER. — Indices mihi mammiferum animal dentibus carens.

TUCCIUSS prompte: — Facillimum equidem; aviam meam.

* *

Aenigmata

I.

Subiacet exposita inclementibus aetheris iris, Brutorum ac hominum quae solet esse comes. Non unus tantum queritur deceptus ab illa; Purgata ac pressa est; quid tamen ipsa iu-

vat?

In laribus nunquam est, nigreat vel luceat

[aether;

Componit faciem; membra vetusta novat.

Semper cum egressis tecto commercia miscet;

Multum imbras potat; multa vorare solet.

Impuram dicit vitam limoque desertam;

Sed dicit (grates Caelo) aliquando novam.

Opportuna quidem sociis fit sole favente; Persistit costans in bonitate parum. Quis pressa certum recipit tutamen ab illa, Ne cadat, is quamvis sit probus atque pius? Lubricus est nimium pes, quem natura recepit Mortalis: plantae semper ad ima fluunt.

II.

Nexa ligor ferro, multos habitura ligatos; Vincior ipsa prior, sed vincio vincta vicissim. Et solvi multos, nec sum tamen ipsa soluta. (Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] *Mus*; 2] *M-odium*).

IOSFOR.

"Almae Romæ," Anthologia

DE HORRENDA QUORUNDAM ANIMANTIUM ARBORISQUE NATURA EAQUE MIRA

(Ex historiis CORDARAE t. II., pag. 557). (1)

Patet Tapensium provincia in longum centum fere leucas, porrigiturque per continuos montes ab occidente ductos in orientem, inter mare Brasilum et flumen Urvaicam. Valles subiectae montibus laeta pecori pascua subministrant. Humus rivis fontibusque irrigua et cuiuslibet seminis capax. Mores gentis, ut in illa barbarie, satis commodi, indoles bona, ingenium docile. Certe experientia docuit, nullum in hac australi America populum christiana legi aut capessendae, aut retinendae aptiorem isto esse. Sed ut regio nulla est tam beata, quae non proprio aliquo laboret incommodo,

sic ista belluas praecipuae immanitatis alit, atque unam maxime quae ceteras feritate vincit. Ao nomen illi est, forma oris, unguis dentesque tigridis. Occurrit sponte leonibus, eosque aut vineit, aut fugat. Unum deprehensis hominibus perfugium est, si proceris arboribus se committant, et in earum culmen evolent. Sed ne ibi quidem semper tutis esse licet. Nimurum bellua improba radicitus interdum extirpat arborem, aut infra sedens exspectat dum exanimata fame praeda concidat. In eam acie instructa pugnare Indi solent, quae quum se imparem ad resistendum videt, recedit in lacum aut paludem, (nam in aquis ut in terra vivit), atque inde, collectis aliquot suaee speciei sodalibus, gregatim in hostem prorumpit. Si quam per insidias Indi aut iusto marte maculant, eius pellem tamquam ampla spolia induunt.

Est deinde in silvis eximiae pulchritudinis avis, albi coloris tota, non terror tamen, sed oblectamento hominum, quae sonum campanulae edit. *Guirapum*, idest avem sonantem, vocant.

In iisdem silvis arbor visitur, copiosum imbrem fundere quotidie solita sub ortum solis. Ac ne matutinum rorem putes, siccae circum arbores aliae inveniuntur.....

Delegit HERMINIUS M. IACOBELLI.

ROMA SACRA

Ex Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus.

Quum Summus Pontifex Pius x, Motu proprio *Doctoris Angelici* praescripserit, ut in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent ex apo-

stolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in sacra theologia conferendi, Summa Theologica S. Thomae tamquam textus habeatur, (2) quumque S. Studiorum

(1) Cfr. an. I, fasc. VIII.

(2) Cfr. *Almae Romæ* an. I, fasc. III, p. 59.

Congregatio xxiv theses philosophicas, sibi ad examen propositas, (1) germanam S. Thomae doctrinam continere declaraverit, ad hanc S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus quae sequuntur dubia delata sunt:

I. — Utrum Summa Theologica S. Thomae habenda sit in scholis, de quibus supra, uti textus consultationis, an uti textus praelectionum, saltem quoad partem scholasticam?

II. — Utrum omnes xxiv theses philosophicae a S. Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant; et in casu affirmativo, utrum imponi debeant scholis catholicis tenendae?

Hisce dubiis ita responsum est:

Ad I. Summa Theologica S. Thomae habenda est uti textus praelectionum quoad partem scholasticam quaestionum; ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat, habeatur prae manibus et explicetur Summa Theologica quoad partem scholasticam.

Ad II. Omnes illae xxiv theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt, eaque proponantur veluti tutae normae directivae.

(Ex deer. d. vii mens. Martii MCMXVI).

Ex S. Poenitentiaria Apostolica.

De obligatione divini officii recitandi circa clericos in Sacris constitutos, qui, lege civili coacti, in bello versantur.

Clerici qui, licet in Sacris constituti sint, nihilo minus coacti fuerint interesse bello, tum solum excusantur ab obligatione Divini Officii recitandi, quum actu in acie seu in linea et loco certaminis versantur; securus vero tenentur ad Divinum Officium in horis liberis quo meliori modo potuerint recitandum; in casu vero gravis sui vel alio-

(1) Cfr. *Almae Romae*, an. I, fasc. VII, p. 137.

rum incommodi se gerere possunt ac debent (audio, si potuerint, proprio confessario) iuxta normas generales a Theologis traditas.

(Ex deer. d. xvii mens. Martii MCMXVI).

Ex Congregatione Rituum.

Missa Votiva Sacratissimi Cordis Iesu.

I. — Missa Votiva SS. Cordis Iesu, a Leone PP. XIII concessa pro qualibet feria sexta, quae prima in unoquoque mense occurrit, non quidem prohibita est in omnibus festis Domini, iuxta decretum n. 3712 diei 28 Iunii 1889; sed tantum in festis Christi Domini, ad mentem novarum Rubricarum tit. IV, n. 7; tit. VI, n. 4; et iuxta Notanda in Tabellis. n. 8.

(Ex deer. d. II Iunii MCMXVI).

Dubia de precibus post Missam.

I. — An preces post Missam omittere debeat Sacerdos, qui Sacrum facit in Oratorio eiusdem Communizatis Religiosae, dum ipsa Communizitas vel lectioni meditationis, vel alteri Missae assistit, vel ad recipiendum Sacram Communionem accedit, vel pias preces in communi recitat? — *Resp.* Negative; et in casu preces praescriptae recitentur submissa voce tam a Sacerdote celebrante, quam a clero seu inserviente; vel tantum respondente; et dentur decreta, praesertim Decretum de precibus in fine Missae recitandis diei 20 Iunii MCMXIII.

II. — An liceat preces omittere in fine Missae, quae celebratur in altari SS. Sacramenti, si immediate post eam Sacra Communio administranda sit? — *Resp.* Negative, iuxta decretum supra relatum, et in casu SS. Eucharistia administretur post preces.

(Indidem)

Dubia de festo Dedicationis Ecclesiae.

I. — Debetne affigi festum Dedicationis ipsi diei mensis, qua Ecclesia consecrata fuit, si haec dies est nota, celebrata solemnitate externa eadem die Dominica, qua an-

tea? — *Resp.* Affirmative quoad festum cum Officio et Missa. Posse et non teneri quoad solemnitatem externam.

II. — Debetne festum Dedicationis ita alieui diei mensis affigi, ut Dominica sequens sit eadem Dominica, qua celebratum fuerat festum Dedicationis tempore elapsi?

— *Resp.* Affirmative, si non innescat dies consecrationis, aut agatur de festo Dedica-

tionis Ecclesiarum consecratarum, una eadem die celebrando.

III. — Debetne solemnitas externa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in tota Dioecesi celebrari, vel tantum in urbe Episcopali? — *Resp.* Posse et nullibi teneri, iuxta Decretum S. R. C. diei XXVIII mens. Octobris MCMXIII, tit. I, n. 2.

(Ex deer. d. V mens. Maii MCMXVI).

AD PRAETORIUM

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

ARGUMENTUM.

Eis amore qui latinis litteris
Student, vel istis pessimis temporibus,
Dari scient, dici, dedicari fabulam
Sacrificis ab historiis desumptam mordicus.
At, at... nimis cur turbari vos video
Meisque verbis dignari? Dicite:
Feretis aegre fabulam quod dixerim?
Apud nos fabulae sunt et comoediae.
Ita Veronicae quid est optatius
Memoriae casum referre et versibus?
Fluentem cernit Salvatorem sanguine
Crucem ferentem, pulsum tot vulneribus
Et ipsa amore ducta, reverentia.
Eius sacram vultum tersit sudario!
Ei sed dulcis liquit in velamine,
Iesus suum vultum, narrant ut saepius
Sacri scriptores, omnis et traditio.
Scio quidem, pravo labente saeculo,
Adesse gentem perversis consiliis
Rabidam, solent ut agrum saepius pecuda,
Vel ipsas mollius radices rodere,
Sic omnes arbores privare germine.
Petunt hi subdoli, tentant Evangelium,
Suisque dentibus mordent voraciter,
Suumque ad sensum falsum vertunt omnia,
Ut illaesum nihil restet vel integrum.
Manent quae populos infesta tempora!
Eis anilis fabula Evangelium!
Quis istud possit sustinere sceleris?
Eant in profundum damnati tartarum!

Loqui me surdis, vel lavare laterem,
Opus quod esset improbum non nescio,
Meis nec humeris par bene compositum.
Sed audio quosdam subridentes iungere:
« Facit quid hic, quid pessima Herodias?
Et ipsa pertinet prorsus ad historiam?
— Procul dubio! modo nec ipsam historicam,
Sed potius dices historicissimam!
(Meo cum Plauto fingo sic vocabula).
Traho meo penu perculsam scelere
Quod in Ioannem perfide commiserat
Amoris ergo commonere Fulviam
Velt sibi vulnus ne cordi inurere,
Malorum Fulviae succurrit conscientia!
Idem percussit ambas post exilium
Et ambas una tenuit Galliae civitas.
Refert communis dolens sic traditio.
Enim quid dulcius quam dare amiculu,
Cadar ne gravius, rectum consilium?
Iuvat prae ceteris Herodis sociam,
Novis audire stimulis conscientiae,
Necem queri Ioannis, Fulviam pellere
Virum ut deturbet Iesu de supplicio.
Gravia narrant nam regiam foeminam
Tulisse probra dure uno pro crimine.
Detur si forte latina haec facundia,
Et absens plausero ambabus manibus!
Dabuntque plausum queis est latinitas
Comis, superba lingua gentium dominae.
Quid est? Sperare nobis quod fatum vetat?
Nam Roma semper quae videre grandia
Solet, suas filias graecam comoediam

Agentes vident gravi supercilium!
Fuit quae soccis venerandis novitas!
Quae vestes, crines, graecae vel fasciolae!
Ita decorum pulcrumque ut nihil supra.
Et omnes incolae plausere et advenae
Supra qui numerum gratantes venerant.
Novus qui gloriae Romanae radius!
Honor fuit tantus graeca si comoedia,
Erit latino par decus, ni forte maius.
Enim frequentant gymnasium publice
Colunt latinas litteras et filiae!
Imo donantur sapientiae laurea
Erat quod elapsis mirum temporibus.
Ego hac fiducia suffultus unice
Manu veloci versibus senariis,
Solis puellabus scripsi comoediam,
Casum deponens memorandum foeminis
Quies aeterna promeretur gloria.



PERSONAE:

FULVIA, Pilati uxor.
MARIA E MAGDALO, Christi discipula.
HERODIA, Herodis uxor.
OCTAVIA, foemina romana.
BERENICES, Christi discipula, (vulgo *Veronica*).
HAEMORRHOISSA, Christi discipula.
LIBERA, Fulviae liberta.
Scena tota est in aedibus Pilati.



PROLOGUS. (1)

Novi quid dicam, spectatores optimi?
Poëta quidquid vellet ipse dicere,
Et ipsum omnes argumentum perdocet:
Iesus Pilato condemnandus traditur...
Movetur omnis civitas invidia,
Suis furore ducta magistratibus,
Premit quae violenter, impellit iudicem,
Ut omni modo, gravi multctetur innocens.
Sic omnes cedunt paucorum vafritiae!
Sed adstant solae fortiter mulieres.
Eas poëtae in scenam perduci placuit
Domum Pilati gradientes, obstrepunt,
Omnia questu miscent, implent querimonii,
Ut illum salvent, reddant ut incolumem!
Matrum sic corda tangit infortunium!
Apud quod olim Golgotham conficitur.

(1) PROLOGUS erit LIBERA.

Diem nefasto resignandum lapide.
In aevum virtus illarum vertit in decus.
Stabat Ierusalem harum fortitudine
Decus! Dicentur Christi currere obviae
Eumque multis ut lugerent lacrimis.
Volo nec nimias laudes perfundere
Adhuc cum nostris sit agenda fabula.
Vacivis auribus, semper qui mos fuit,
Novam comoediam accipiatis, rogo.



SCENA I.

LIBERA stans apud fenestram respiciens foris.
Qui rumor gentium! Viae Ierusalem,
Dolent repleri semper quae silentio,
Strepunt furentium insanis vocibus.
Et Illum quem ferebant nuper ad sidera,
Ad imum perfidi detrudunt tartarum!
Quid est populi nam turba inconstantius?
Novi quid accidit? Fecit quid improbi? (2)
Boni non egit quid ipse omni tempore?
Iesus magister est mihi pae ceteris.
Vocat nam cunctos ipse fratres homines,
Sive Romani, Graeci sint, vel Barbari,
Sive sint ipsi pauperes aut divites...
Et ipsa gaudeo suis de muneribus.
Enim, misella, servitutem servii,
Meumque corium seges flagitii
Fuit virgarum diuturna tempora.
Venit sed ipse, paucis heram alloquitur,
Dedit me subito abire pro arbitrio.
Quid est hoc dulcissimus, quid est suavis?
Et istum divites ponunt nunc ad Crucem!...
Et adsunt irae tenaces et principes!...
Quid est invidia turpius delirii?
Viae repellent vocibus, quae clamitant,
Eum necis reum damnandum capit,
Diebus quem lapsis ovantes ceperant!
Brevis quam populo memoria munerum!
Ei sed omne profero meum bonum.
Prius vocabar Afra, Libera nunc minor,
Prius vapulabam virginis perpetuis,
Fruor nunc ipsa dominae confidentia,
Quae amat puellam, filiam prosecutur.
Dabit quis ipsi me maiores gratias?
(Ad proximum numerum).

(2) Pausat iterum et prope fenestram loquitur.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis

Qui dies adventant, ad pacem recolegendam, quam Christus, humani generis Redemptor, suo ortu in terris nunciavit, tertium homines inveniunt per incredibile odium invicem certantes, terramque late fraterno sanguine madidam. Quoniam igitur animo eosdem dies faustos et felices omnibus omnideumur, dum ipsi, qui scribimus, tot amicos et collegas dilectissimos, quorum memoria hac tempestate magis succurrit, complorare adacti simus; quinimo de sorte filiorum nostrorum, raptorum ad bellum trepidemus? Fidentes tamen providenti illi Numini, quod certae spei solatium assidue praestat, praestat et robur, nedum frangamur, erigimus magis nos, ac sereno vultu futura prospicimus, quae vobis, o socii et lectores humanissimi, nobisque meliora speramus, operique cui simul intendimus, quodque pro certo habemus, si humanitatis triumphus redibit, et ipsum cum ea triumphanturum.

Congruenter diximus ad opus nos simul intendere: si enim vires nostrae, quantaecumque haec sunt, ad illud conferimus, nec ulli vitae nostrae sacrificio pro eo parcimus; non lucro et quaestui, sed quibus impensis commentarii vita indiget, vos per societatem vestram subvenitis. Itaque, quum, difficillima hac tempestate, tot tantaque discrimina et adversa, forti erectoque animo adgredi nos praesto sumus et in incoepio viriliter perseverare; et vos non solum in loco vestro manete, sed efficiatis, ut nostrorum agmen quotidie augeatur et crescat, ita ut imperandi ius potestatemque merito tandem sibi possit vindicare. Viribus enim sic unitis, fata quaevis sustinere, quin etiam vincere nobis licebit.

Interim, dum ad proximum numerum peculiares rationes delegamus, quibus per annum MCMXVI in itinere persistere constituerimus, in commodum praesertim illorum, qui ultro ad ALMAE ROMAE societatem accessuri sint, quosque, per eorum praesertim sollicitudinem qui iam eius sunt participes, multos futuros esse confidimus, prospectum consociationis commentarii nostri iuverit revocare. Ea bifariam dividitur, Patronorum nempe, et Sociorum.